



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim**

**Innozenz <III., Papst>**

**Parisiis, 1682**

Thebano Archiepiscopo.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-20020**

insigni videlicet plenitudinis pontificalis officij, curabimus destinare, qui & sciet & poterit cum sapientiæ divinæ potentia commissam sibi Ecclesiam spiritualiter & temporaliter gubernare. Quod si non omnes &c. duo vestrum &c. Datum Laterani v. Idus Martij, pontificatus nostri anno tertio decimo.

R. ET A. ATHENIENSIBVS  
& magistro G. Dimicensi Canonico.

Epist. 74.  
De congrua  
portione Ca-  
nonicorum  
Thebanorum.

**C**um olim ad petitionem dilectorum filiorum Canonicorum Ecclesiæ Thebanæ dilecto filio Nazorefen electo & suis conjudicibus dedissem nostris litteris in mandatis ut venerabilem fratrem nostrum Thebanum Archiepiscopum admonerent eisdem Canonicis portionem de rebus Ecclesiæ suæ congruam assignare, idem Archiepiscopus, prout nostris auribus est relatum, monitionibus illorum inductus, confideratis redditibus ejusdem Ecclesiæ ac facultatibus univrsis, medietatem earum Canonicis contulit memoratis liberaliter: qui tandem humiliter postularunt à nobis ut concessionem hujusmodi dignaremur auctoritate apostolica roborare. Quocirca discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus concessionem ipsam, sicut provide facta est, faciatis firmiter observari, contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo. Quod si non omnes &c. duo vestrum &c. Datum Laterani vi. Idus Martij, pontificatus nostri anno tertio decimo.

THEBANO ARCHIEPISCOPO.

Epist. 75.  
Mandatur ei  
ne vexet Cano-  
nicos.

**D**ilecti filij Thebani Canonici nobis grauiter sunt conuesti quod tu pro qualibet leui causa, juris ordine prætermisso, sententiam excommunicationis in ipsos sæpius jaculari præsumis, cumque propter varia maris & terræ pericula, pro beneficio absolutionis habendo ad nos accedere nequeant, Ecclesia sua sapissime hac de causa ulterius quam deceret debito seruitio defraudatur. Ne igitur nimium deferendo prælatis, subjectos opprimere videamur, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus quatenus in Canonicos ipsos præcipitare sententiam contra juris ordinem non præsumas, sed ita satisfacias de injuriis super hoc irrogatis eisdem quod justam de te materiam non habeant conquerendi. Alioquin pro certo cognoscas quod si nobis super hoc fuerit iterata querela, officij nostri debitum conquerentibus reddemus. Datum ut in alia per totum.

ATHENIENSI ARCHIEPISCOPO  
& suffraganeis ejus.

**D**ilectus filius nobilis vir O. de Roca Dominus Atheniensis per litteras nostras vestram petiit providentiam admodum ut in castris suis & villis, in quibus duodecim Latini abundantes certas haberint mansiones, proprios sacerdotes, quibus integrè à Latinis laicis decimæ persolvantur, instituire curaretis, præsertim cum iidem laici sint parati hujusmodi Prefbyteris, quibus decimæ non sufficerent, providere. Quocirca fraternitati vestræ per apostolica scripta præcipiendo mandamus quatenus petitioni ejusdem nobilis super hoc, prout videritis expedire, benevolam præbeatis assensum. Alioquin dilecto filio magistro R. Decano Davaliensi & B. Cantori & Terrico Canonico Thebanis dedimus in mandatis ut veritate super hoc diligentius inquisita, illam nobis studeant fideliter intimare. Datum Laterani &c. ut in alia per totum.

Scriptum est ipsis super hoc in eundem sermone usque in finem. Quod si non omnes &c. Datum ut in alia per totum.

PRÆCEPTORI ET FRATRIBVS  
Hospitalis sancti Samsonis Constantinopolitani.

**A**nnuere consuevit sedes apostolica piis votis, & honestis petentium precibus favorem benevolam impertiri. Ea propter, dilecti in Domino filij, vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu, castellum quod Garelis vulgari ter appellatum vobis cum pertinentiis suis carissimus in Christo filius noster Henricus Constantinopolitanus Imperator pia liberalitate donavit, domos quoque, casalia, terras, vineas, & possessiones alias, sicut ea omnia justè ac pacificè possidetis, vobis & per vos domui vestræ auctoritate apostolica confirmamus & præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere vel ei &c. usque incursum. Datum Laterani xviii. Kal. Aprilis, pontificatus nostri anno tertio decimo.

P A T R I A R C H Æ  
Constantinopolitano.

**S**i tua fraternitas consideraret attentè quod ab uno patre descenderimus univrsi, & quod non sit personarum acceptio apud Deum, sed ei de omni gente qui